

R. Ad 1.^m Jurisdictio coactiva, absolutio à peccatis et ordinatio Clericorum, jure naturali et divino requirit distinctionem personalem, cum nemo se ipsum cogere possit, neque formæ Sacramentorum respectu sui verificentur; quæ, et similes rationes non currunt in dispensatione.—Ad 2.^m Isti casus ob fraudes et ambitionem sunt specialiter excepti à reg. generali. Vide *Resol. Canon. hic resol. 3.*

35 Q. V. *An justa causa requiratur ad dispensandum?*

R. Affirmativè (Trid. S. 24 c. 5 de ref. Matr. et S. 22 c. 15 de ref. S. 25 c. 28 de refor.); nam sine causa ponere inæqualitatem inter subditos, esset non tam dispensatio, quàm dissipatio et quædam acceptio personarum. Et quidem, si inferior dispensat, justa causa requiritur non tantum ad licitam, sed etiam ad validam dispensationem; quia Superior non aliter censetur concedere facultatem, nisi ut rationabiliter et prudenter dispensetur: si verò legislator est, justa causa requiritur solum ad licitam dispensationem, cum legislator tanquam dominus legis, non solum relaxare, sed etiam abrogare validè possit suam legem absque ulla causa. Hic tamen monent Salmanticenses, quod, si legislator dispenset absque justà causa, vel minùs sufficienti, secluso scandalo, non committat ex genere suo peccatum mortale, quia in hoc quod omnes non conformentur in observantia legis, non videtur tanta inordinatio, quæ sufficiat ad peccatum mortale, nisi accedat alia circumstantia gravis, ut damnum Reipubl. vel tertii, scandalum et alia incommoda. Quando dispensatio sit subreptitia, vel obreptitia colliges ex *seq tit. Vide Salmant. Tr. de LL. c. 5.*

§. VI.

De interpretatione legum.

36. *Nota.* Interpretationem definiri: Sensus in leges contenti explicatio. Et hæc (juxta gloss. in *L. 37 ff. de LL.*) est triplex: *authentica, usualis, et doctrinalis.*—*Authentica* est, quæ fit ab ipso Legislatore qua tali, vel successore, vel superiore, per rescriptum legitime instar juris editum ac intimatum. (*C. 31 de Sent. excom. l. fin. C. de LL.*) ibi: *leges interpretari solo dignum imperio esse oportet.* Si autem legislator, non qua talis ex jurisdictione, sed qua doctor privatus leges interpretetur, interpretatio est tantum doctrinalis.—*Usualis* est quæ fit ex usu et consuetudine populi, quia per *L. 37 ff. de LL. consuetudo est optima legum interpret.*—*Doctrinalis* est, quæ fit à jurisperitis in sua scientia versatis. Et hæc dividitur trifariam: in *declarativam, extensivam, et restrictivam.* *Declarativa* est, quæ verba dubia et obscura explanat. *Extensiva*, quæ legem à casu expresso ad non expressum, vel à persona ad personam extendit. Quod fit dupliciter: *purè extensivè*, dum ob solam paritatem rationis lex ab uno casu extenditur ad alterum: v. g. Proconsul ubique extra urbem procon-

sularia insignia habet (per *L. 1 ff. de Offic. Procon.*); ergò et Legatus à latere, qui æquiparatur Proconsuli in dignitate et jurisdictione: et *comprehensivè*, dum ob identitatem rationis lex ab uno casu porrigitur ad alterum, lege quidem non expressum, in mente tamen legislatoris comprehensum: v. g. lex prohibens arma vel frumentum ad hostem vehere, tacite et *comprehensivè* prohibet delationem ferri aut farinæ. *Restrictiva* est, quæ propter speciales circumstantias restringit legem, seu benignius ipsam interpretatur, quod non obliget in his circumstantiis. Aliter vocatur *Epithia*, id est, benigna interpretatio legis secundum æquum et bonum, seu emendatio legis, qua parte deficit propter universalitatem.

37. Q. I. *An præter Legislatorem, etiam inferior authenticam legum interpretationem facere possit?*

R. Regulariter loquendo non posse: nam interpretatio authentica, cum faciat jus commune, necessario procedere debet à potestate legislativa. (*l. 9. 11. 12. C. de LL.*); at ex speciali commissione, etiam inferior authenticè interpretari potest legem Superioris. Et quidem:—1.^o *Papa*, sicut olim Summus Sacerdos in Vet. Test. authenticè interpretari potest legem naturalem et divinam positivam, cujusmodi interpretationes multæ sunt in jure Canonico: v. g. marito, vel patri non licere occidere adulteram filiam, vel uxorem etc. Sic etiam in damnatis propositionibus Pontifices Romani interpretes agunt circa ea, quæ pertinent ad jus naturale et divinum: nam talis potestas necessaria fuit Ecclesiæ, eamque Christus dedit inclusam in generali potestate ligandi et solvendi. Illa autem censenda est interpretatio authentica, quam Papa, ut doctor publicus, prævia matura consideratione, toti Ecclesiæ proponit tenendam, secus est tantum interpretatio doctrinalis et probabilis, quam Papa, ut doctor privatus facit.—2.^o *Sac. Congregationes*, ex speciali S. Sædis commissione, possunt jura Pontificia, servatis servandis, authenticè interpretari, præsertim Congr. Conc. Trident. ut in Prolegom. dictum.—3.^o *Prudentes* olim authenticè interpretabantur jus civile (§. *responsa. In. de J. N. G. et D.*) quæ potestas hodie Jctis. subblata est (*l. 12. C. de LL.*) Ceterum interpretatio *authentica*, uti et *usualis*, cum nitatur potestate legislativa, facit jus commune. (*cit. l. 12 et l. 35. 36. 37. ff. de LL.*)

38. Q. II. *An licita sit interpretatio doctrinalis in omni jure?*

R. Affirmativè, modò fiat secundum regulas communiter à DD. receptas (*l. un. C. de Profess. qui in urbe, l. 1. ff. de R. C. l. 17. 18. 19. ff. de LL. et arg. c. 2. de priv. in 6.*); nam ex una parte leges sæpè sunt obscuræ, et ex altera Legislator sæpè pro commoditate adiri non potest, imò nec semper vult interpretationes authenticas facere; ergò necessarium erat, ut talis facultas interpretandi viris doctis concederetur. *Excipe*, nisi legislator expressè prohibeat alicujus legis interpretationem; quo casu, ut prohibitio aliquid operetur, non solum interpretatio frivola, sed etiam quæcumque alia ex professo suscepta censetur prohibita. Sic ex Bulla Pii IV. *Benedictus Deus*, ad calcem Trid. specialiter prohibetur interpretatio Tridentini, ex professo suscepta et typis edita, absque consensu S. Sædis; Prælati quidem sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, aliis verò sub pœna ex-

communicationis latæ sententiæ. Hac tamen prohibitione et pœna non tenentur qui in suis libris et scriptis incidenter explicant aliquem textum ex Trid. allatum: porrò interpretatio doctrinalis, cum non nitatur potestate legislativa, non facit jus, sed tantum probabilitatem, et ideò circa eundem textum dantur sententiæ ex utraque parte probabiles.

Regulæ interpretationis declarativæ.

39. I. Ante omnia attendi debet mens et intentio legislatori, quæ est anima et forma legis, soletque colligi ex præmio et motivo legis. (*cap. humanæ. 22. q. 5. et cap. 6. de V. S.*) *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus. Et l. 6. §. 1. ff. de V. S. ibi; Verbum ex legibus sic accipiendum est tam ex legum sententia, quam ex verbis.*

II. Attendenda est verborum proprietas, nisi sequatur absurdum vel iniquitas, (*c. 2. v. sed neque de Translat. l. 69. ff. de Legat. 3. l. 7. §. 2. ff. de Supel. legat.*); nam sine causa non debet præsumi, quod legislator metaphoricè loquutus fuerit. Si tamen vocabulum aliquod duplicem habet significationem, alteram naturalem seu communem, et alteram civilem seu juridicam, significatio juridica non attenditur, nisi in favorabilibus. Sic lex favorabilis de *filiis* intelligitur etiam de legitimatis et adoptivis, non verò odiosa. Et monachus, si favorabile est monasterio, comprehenditur sub nomine *mortui*, non verò in odiosis.

III. Verba generalia sunt intelligenda, tam in favorabilibus, quam odiosis (*l. 1. §. Quod à ff. de aleator. l. 5. S. 9. §. fin. ff. de J. et F. l. 1. §. generaliter ff. de legat. præstand.*); ex quibus legibus desumptum est illud brocardicon: *ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.*

IV. In concursu legum contrariarum primo tentanda est conciliatio per subtilem interpretationem (*l. 26. 28. ff. de LL. l. 2. §. 16. et l. 3. §. 15 ff. de V. J. E.*) quia correctio jurium, utpotè odiosa vitanda est. Si verò conciliatio non speretur, lex posterior derogat priori (*cit. l. 28. et l. fin ff. de constit.*), *Constitutiones tempore posteriores, potiores sunt his, quæ ipsas præcesserunt.* Papa tamen, vel alius summus princeps, qui jura omnia in scrinio sui pectoris habet, per posteriores leges non censetur derogare legibus particularibus, privilegiis et consuetudinibus locorum, nisi id clarè exprimat (*c. 1. h. t. in 6.*), quia hæc particularia probabiliter ignorat. Ceteræ interpretationum regulæ desumuntur ex regulis juris, et *tit. de V. S.*

Regulæ interpretationis extensivæ

40. I. Ob similitudinem rationis lex non est extendenda ad personam, vel casum non expressum: nam legislator non intendit obligare, nisi ad id, quod exprimit, eique placet (*l. 1 ff. de Const. Prin.*). Undè illud: *ratio legis,*

non est decisio legis. Sic, (*Clem. 1 de Elect.*) Religiosus non potest eligi in Prælatum regularem alterius Ordinis, quia non convenit sociari homines disparis professionis vel habitus, et tamèn eligi potest in Episcopum, licèt similis ratio contrà militet. Judex tamèn, deficiente alio jure, potest, imò regulariter debet à simili ad simile judicare (*l. 12 13 ff. de LL.*)

II. Ob identitatem rationis rectè fit interpretatio comprehensiva, *arg. l. 32 ff. ad L. Aquil.*, undè desumptum est illud brocardicon: *ubi eadem est ratio, ibi eadem est juris dispositio.* Nam quod mente legislatoris comprehensum est, censetur legi inesse, et legislator imprudens meritò judicaretur, si quod statuit de expresso, nollet servari in tacito: v. g. lex ecclesiastica prohibet Prælatis res Ecclesiæ alienare, ergò etiam prohibet, ne laicos eorum nomine res tales alienet. Hæc interpretatio comprehensiva plerùmque locum habet in correlativis, ut inter uxorem et maritum, æquiparatis à jure, connexis, et in iis omnibus, in quibus, nisi fiat extensio, sequitur absurdum. Hic tamèn observa, *similitudinem rationis et identitatem rationis* sæpè quidem confundi, sed in rigore differre: nam *similitudo* fit in diversis rationibus, quarum altera est alteri similis: v. g. novitius non est eligibilis in Prælatum, quia plenè non didicit disciplinam regularem; similis ratio currit in minorista, ne eligatur in Episcopum, quia non supponitur benè callere disciplinam ecclesiasticam. *Identitas* fit in eadem ratione, quando pro casu in lege non expresso prorsus eadem ratio currit, quæ pro casu expresso. Sic *c. 24 de Spensalib.* non valet matrimonium cum furioso, ergò nec cum furiosa, quia utrobique consensus non subsistit. Vir innocens non tenetur reddere debitum adulteræ (*c. 4. 5 de divortiis*); ergò nec uxor innocens adultero, quia utrobique frangitur fides conjugalis.

III. In pœnalibus et odiosis, quæ sunt contra jus commune vel tertii, et similiter in dispensationibus, quæ sunt vulnus legis, stricta interpretatio adhibenda est, neque ob paritatem vel majoritatem rationis facienda extensio ad casum non expressum (*l. 19 25. ff. de LL. c. 25 de decim. c. 9 de priv.*); quia per *reg. 15 in 6.* odia restringenda sunt. Sic per *Nov. 115 c. 3.* incestus cum noverca est causa sufficiens exheredationis, quod tamèn extendi non debet ad incestum cum matre. Ceterum, licèt dispensatio, utpotè relaxatio juris, strictè sit interpretanda, tamèn potestas dispensandi, cum sit juri conformis, et nulli præjudiciosa nisi concedenti, latam habet interpretationem, sicut beneficium Principis (*l. 3 ff. de Const. Princ.*) *Beneficium Imperatoris, quàm plenissimè interpretari debemus.*

Regulæ interpretationis restrictivæ.

41. I. Epiikia, seu restrictio locum habet in jure divino positivo et humano pro illis casibus, quibus observatio legis redditur nimis difficilis, (*S. D. 1 2 q. 96 a. 6.*) Sic David ex epiikia judicavit licitum sibi esse comedere panes propositionis laicis vetitos; Machabæi pugnarunt die festo; et similiter in casu difficili interpretamur non obligare præceptum jejunandi, abstinenti ab opere servili, audiendi sacrum, etc.

II. In lege naturali non datur propriè epikia, sed simplex interpretatio, declarans casum aliquem non comprehendi sub lege naturali; nam lex naturalis semper est circa conformia vel difformia rationi; ergò emendari non potest per epikiam. Sic non esse reddendum depositum hosti Reipublicæ, licitè occidi posse innocentem, dum Deus id imperat etc., simplex ostendit interpretatio, quòd scil. jus naturale ad hos casus se non extendat: si tamèn aalem interpretationem vis nominare epikiam, lis erit de nomine.

III. Epikia regulariter non habet locum in legibus irritantibus. Ità com; nam rigor talium legum plurimùm conducit ad bonum Reipubl. Et ideo tempore pestis, vel belli, vel alio casu, quo non potest haberi parochus cum testibus, validè non contrahetur matrimonium in locis, ubi Trid. viget. Cetera de legibus, uti et de ignorantia juris et facti, supplenda erunt ex jure civili.

TITULUS III.

DE RESCRIPTIS. ^a

42. Nota I. Rescriptum quoad nomen esse *responsum scriptum*: at quoad rem, *rescriptum* propriè et strictè acceptum, est: Responsum Principis in scripto datum ad alicujus supplicationem, vel relationem, vel consultationem circa jus intelligendum (l. 1 §. 1 ff. de Const. Prin. l. 2 et fin. C. de LL.); aliter vocatur *epistola* (cit. l. 1), et in jure Canon. *epistola decretalis*. Et differt ab *oraculo*, quia hoc viva voce; ab *edicto*, quia hoc motu proprio; rescriptum verò ad præviam supplicationem datur. In præsentì rescriptum accipitur latius, prout est quodcumque Principis responsum in scripto datum, sive jus et justitiam, sive beneficium et gratiam concernat.

Nota II. Rescriptum hoc ultimo modo acceptum dividi:—1.º in *generale*, et *speciale*. *Generale* est, quod datur pro omnibus subditis, et cons. instar constitutionis facit jus commune, (l. fin. §. 1. C. de LL.) *Speciale* est, quod datur uni vel alteri, et hoc regulariter facit jus solùm inter partes (l. 2. eod.); nisi Princeps rescripta specialia expressè velit observari instar juris communis, uti plurima sunt in jure canon. et codice Justiniani.—2.º In rescriptum *juxta*, *contra*, et *præter jus*. *Juxta jus* est, quod Princeps conformiter juri communi concedit. *Contra jus* est, quo Princeps aliquid contra communem juris dispositionem facit, ut dispensando, privilegia largiendo etc. *Præter jus* est, quo Princeps concedit ea, quæ jure non sunt decisa.—3.º Præcipua divisio est in *rescriptum gratiæ*, quo præter, aut contra jus commune supplicanti gratia conceditur; et *rescriptum justitiæ*,

^a—De hac materia agitur in 6 et Clement. h. t.—In Decreto d. 97 et 25 q. 1 2 per tot.—Trid. sess. 22 c. 5. 6 et sess. 23 c. 10 de ref.—In Pandectis l. 1 §. 1 ff. de Const. Princ.—Codice lib. 1 tit. 19 usque ad 23.

seu *ad lites*, quod datur ad judicia, et justitiam administrandam: v. g. delegando judicem, præscribendo specialem modum procedendi etc. His aliqui addunt mixtum ex utroque. Ceteræ rescriptorum species ex vocibus innotescent, uti sunt *Eccllesiastica*, *Papalia*, *Politica*, *imperialia*, *exequutoria*, *moratoria*, seu *dilatoria* debiti solvendi etc. De rescriptis circa dispensationes matrimoniales lib. 4. agitur, et ideo succinè materiam istam pertractaturi agemus:

1.º De causis: 2.º de vitiis: 3.º de præsentatione, exequutione et expiratione rescriptorum.

§. I.

De causis rescriptorum.

43. Q. I. *Quis, cui et super qua re concedere possit rescriptum?*

R. 1.º Princeps, Ecclesiasticus vel laicus, (toto h. t. et tit. C. de precibus Imp. off. et tit. C. de divers. rescr.) Ceteri inferiores, quique secundùm limites suæ potestatis, aliqua rescripta dare possunt.

2.º Rescriptum dari potest cuicumque subdito, sive actori, sive reo, mari vel femi næ, in quacumque causa, et contra quemcumque subditum, modò aliquid ex his specialiter non prohibeatur: nam hæc omnia sunt de genere permissorum; ergò concessa videntur, si non reperiantur specialiter prohibita.

3.º Impetrare rescriptum prohibentur: 1.º *Servi*, exceptis causis atrocibus, (l. 1. C. de precib.)—2.º *Falsus*, aut revocatus procurator (c. 33 h. t.)—3.º *Hæreticus* (l. 2. C. de Sum. Trin.)—4.º *Excommunicatus*, saltèm Papale rescriptum obtinere nequit, nisi in causa suæ excommunicationis (c. 1. h. t. in 6.)—5.º Propter periculum fraudum alius pro alio rescriptum justitiæ validè non impetrat (c. 28. 33. h. t. l. 24. C. de procurat.), benè verò rescriptum gratiæ (l. 6. de precib et c. 24 de Præb.); quia gratia, etiam absenti et ignorantem conferri potest, modò collationem acceptet, vel ab alio acceptatam ratam habeat.

44. Q. II. *In quo consistat forma rescripti?*

R. In legitima ejus expeditione, seu solemnitatibus de jure et stilo Curia Romanæ requisitis. Cujusmodi sunt:—1.º ut præmisso nomine Principis rescribentis, ponatur *narratio* seu *corpus signaturæ*, tanquàm prima pars, in qua exprimitur relatio eorum, quæ et ex qua causa à supplicante petuntur:—2.º ut subdatur *dispositiva*, seu *conclusio*, tanquàm altera pars, in qua Princeps mentem suam aperit quid, qualiter, et sub quibus conditionibus concedat, adjecto anno Incarnationis Christi, Pontificatus, vel Imperii, et indictionis (olim consultatus) mense, die et loco: (l. 4. C. de divers. rescr. c. 7. h. t.)—3.º In ipso contextu Papa Episcopos vocat *fratres*, alios verò fideles *filios*; et uni rescribens non utitur numero plurali: *vos*, *vestra*,